



Prot. N. 1365/22/I

DECRETUM

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, ad augendam fidelium religionem animarumque salutem, vi facultatum sibi specialissimo modo a Sanctissimo in Christo Patre et Domino Nostro, Domino Francisco Divina Providentia Papa tributarum, attentis precibus nuper allatis a Rev. do P. Marcello Radulpho Zubia, Procuratore Generali Ordinis Clericorum Regularium vulgo Theatinorum, in quingentesimo anniversario eiusdem Ordinis, de caelestibus Ecclesiae thesauris benigne concedit plenariam Indulgentiam, suetis sub condicionibus (sacramentali Confessione, eucharistica Communione et oratione ad mentem Summi Pontificis) a Patribus omnibusque christifidelibus vere paenitentibus atque caritate compulsis, a die XIV Septembris MMXXIII usque ad XIV Septembris MMXXIV lucrandam, quam etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicare possint, si quodlibet templum praefato Ordini spectans, in forma peregrinationis inviserint et ibi iubiliaribus ritibus devote interfuerint, vel saltem per congruum temporis spatium piis vacaverint considerationibus, concludendis Oratione Dominica, Symbolo Fidei atque invocationibus Beatae Mariae Virginis et Sancti Caietani Thiene.

Senes, infirmi omnesque qui gravi causa domo exire nequeunt, pariter plenariam consequi poterunt Indulgentiam, concepta detestatione cuiusque peccati et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, si iubiliaribus celebrationibus se spiritaliter adiunxerint, precibus doloribusque suis vel incommodis propriae vitae misericordiae Deo oblatis.

Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilius pro pastoralis caritate evadat, haec Paenitentia enixe rogat Patres ex Ordine Clericorum Regularium vulgo Theatinorum, prompto et generoso animo, celebrationi Paenitentiae sese praebeant ac S. Communionem infirmis saepe ministrent.

*Praesenti per Clericorum Regularium vulgo Theatinorum iubilaeum valituro. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.
Datum Romae, ex aedibus Paenitentiae Apostolicae, die XXV mensis Aprilis, anno Dominicae Incarnationis MMXXIII.*

*Maurus Card. Diaceo
Paenitentiarum Maior*

*Christophorus Nykell
Ref. eius*